



600010743L




GUIL. LANGII
PHILOSOPHIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS,
ACADEMIAE BIBLIOTHECARII ET SCHOLAE IN
ORPHANOTROPHEO LATINAE COLLEGAE

COMMENTATIO
DE
DIFFICILI HORATII LOCO
IN
SATYRIS I, 4, 87. 88.

ADIUNCTA EST
ORATIUNCULA
DE
PERVERSO PARTIUM STUDIO
IN
LITERIS EDISCENDIS
ET
ANNALIUM SCHOLAE LATINAE
HALENSIS
PARTICULA SECUNDA

AUCTORE
IOANNE GOTTLIEB DIEK
PHILOS. D. PROFESSORE ET RECTORE
GYMNASII.



HALAE,
IN LIBRARIA ORPHANOTROPHEI
MDCCCXXVI.

I.

COMMENTATIO

DE

DIFFICILI HORATII LOCO

IN

SATYRIS I, 4, 87. 88.

In explicandis emendandisque veterum Graecorum Romanorumque ſcriptoribus, qui non minus, quam ſtatuae illorum aliaeque artis reliquiae, aut caſu aut incuria mutilati corruptique ad tempora noſtra pervenerunt, locos difficiles a commentatoribus prae ceteris tractandos eſſe, nemo, qui obiter tantum hanc rem conſideraverit, in dubium vocabit. Difficiles autem locos dicimus eos, in quibus non tantum tirones, ob rerum aut verborum ignorantiam, ſed etiam viri exercitatiores ingenii acumine eruditionisque copia ornati offendunt. Quamquam vero in auctores claſſicos eo potiſſimum conſilio commentarii conſcribantur, ut difficilia explicent corruptaque emendent aut ſaltem emendare ſtudeant, ſiquidem nemo in expeditis auxilium quaerit; tamen difficilia haud raro neglecta, aut non accurate ſatis tractata in iis invenies. Nam praeterquam quod commentatores nonnulli, ibi tantum animadverſionem adiiciunt, ubi ab anteceſſoribus idem factum vident, etiam a rebus tam ſpinoſis, quales loci difficiles ſunt, ſibi cavere videntur, ne, in medium proferentes, quae neque ipſis neque aliis ſatisfaciant, cenſorum iniquorum reprehenſionem incurrant. Sed quis quaeſo eſt quin intelligat, hanc cauſam eſſe nullam, quare officio ſuo ſe ſubtrahant. Omitto, quod in rebus grammaticis ſaepe diutius morantur, gravioraque quae ſenſum

ſpectant hanc ipſam ob cauſam negligunt. Quocirca, quum loci difficiles nequaquam negligendi, ſed prae ceteris tractandi videantur, non alienum erit, paucis adiungere, quomodo id optime fieri poſſit.

Ex mea quidem ſententia, ante omnia neceſſe erit, ut rem ipſam, de qua ſermo eſt, diligenter inſpiciamus eiusque cum antecedentibus conſequentibusque nexum ſtudioſe intueamur; deinde videamus, utrum verba huic nexui conveniant nec ne. Qua in poſteriori cauſa tertium erit, ut lectionum variarum apparatum conſulamus, an fortaſſe alia lectio reperiatur, quae ſenſui quem rei natura eiusque nexus poſtulet magis quam vulgata conveniat. Quodſi nulla eiusmodi apparuerit, nihil reliquum erit, niſi ut ad coniecturas confugiamus, quas tamen facillimas eſſe oportet h. e. corruptae lectioni quam maxime ſimiles, atque omnino ita comparatas, ut non tantum uſui loquendi communi, ſed etiam auctoris proprio reſpondeant, neque denique in poetis metro adverſentur.

Sed ne in rebus ſecundariis diutius immorantes primariam ex oculis dimittamus, iam ad rem ipſam, quam hac occaſione tractandam nobis ſumſimus, tranſeamus.

In omnibus Horatii locis, qui iure difficiles vocantur, nullus ſane difficilior eſt, quam qui legitur in eius Satyris*) I, 4, 87. 88. Nam etſi

*) Qui hanc vocem e Caſauboni auctoritate (de Satyrica Graecorum poeſi et Romanorum Satira ed. Rambach Halae 1774. 8.) per litteram *i*, ut nunc vulgo fit, ſcribunt, ii non cogitaſſe videntur, quodvis nomen, rei naturam atque indolem indicans, cuivis alteri praeferendum eſſe, quod nil niſi externi quid

omnes interpretes eum vel explicare vel emendare studuerunt, tamen nemini, quantum scio, adhuc contigit, ut eius vel explicatio vel emendatio attento lectori satisfacere potuerit. Quamquam vero nimiae audaciae, ne dicam arrogantiae esse videatur, ea aut explicare aut emendare velle, in quibus viri acutissimi iidemque doctissimi frustra desudarunt, tamen quum haec verecunda cogitatio cuivis disciplinae non tam utilis, quam noxia sit, periculum saltem faciendum erit, an, nisi ipsi meliora dare possimus, tamen aliis acutioribus doctioribusque huius rei copiam faciamus.

Locus ipse, de quo omnis disputatio futura est, in Horatii Satyris I, 4, v. 86—89. sic legitur:

„Saepe tribus lectis videas coenare quaternos,
„E quibus unus avet, quavis adspergere cunctos,
„Praeter eum, qui praebet aquam, post hunc quoque potus,
„Condita cum verax aperit praecordia Liber."

Horum versuum difficultatem maxime sitam esse in verbis quavis (v. 87.) et qui praebet aquam cuivis facile per se apparet. Iam vero quod attinet ad le-

aliisque rebus pluribus commune indicet. E posteriori autem nominum genere haud dubie Satira (a satur, varius) est, quod non solum Horatii Epistolis sed aliis etiam varii argumenti scriptis dari potest. Hinc, credo, rectius et consultius erit, cum Heinsio (de Satyra Horatiana) hanc vocem scribere per y. Derivatur enim a Satyrus, numine agresti, cuius erat aliis insultare et lacessere, quod item fit in hisce aliisque Satyris. Itaque quamquam Horatius ipse eadem haec scripta Sermones vocet (Epist. II, 1, 250. cf. Satyr. I, 4, 42.) quo ea, credo, a poematibus distinguat, tamen nomen Satyrarum illis rectius imponi puto; sicuti ab eodem factum vides Satyr. II, 1, 1.

ctionis varietatem quam Codd. exhibent, et quam primo loco excutere nobis liceat, ea h. l. fere nulla est, praeterquam quod v. 87. in MSS. nonnullis a Fea citatis, loco unus legitur imus, a Fea ipso et novissimo Satyrarum Epistolarumque editore Doeringio VV. DD. receptum — (Cf. A. P. V. 32 ibique Bentleium.) Sed quamquam Fea hanc lectionem optimam vocet, et imus per infimum abiectumque explicet, tamen haec eius lectio et explicatio, totius loci sensui, quem paulo post proponemus, praesertim autem versui 90. tam contraria est, ut nihil supra esse possit. Dum enim Fea adspergere cunctos quavis, hominis esse abiecti putat, non cogitasse videtur, hunc ipsum hominem Horatio aliisque nequaquam nigrum, sed (v. 90.) comem, urbanum liberumque videri. Mitto, quod neque convivae, quos Horatius h. l. in exemplum affert, ex eo genere sint, ut tam abiecto homini inter se locum concedant, neque quod Horatius ipse aegre tam abiectus sit, ut se ipse cum tali homine, ut mox videbimus, comparare aut possit aut velit. Item omitto, quod unus manifeste oppositum est voci cunctos, neque quod in numerum h. l. venit, quem locum derisor noster ad mensam occupaverit; cui Fea, ob id solum, quod eum abiectum habet, infimum locum assignandum esse putavit.

Bentleius*) eodem versu (87.) vulgatam avet ex uno Cod., quem optimum vocat, in amet (h. e. so-

*) Bentleius, etsi plura in Horatio coniecit et in textu posuit, quae ab aliis criticis iure reiecta sunt, tamen negari non potest, rationem eius, qua lectiones examinat, reiicit, et coniecturas suas in eorum locum substituit, artificiosissimam et absolutissimam

leat) mutavit (cf. in hanc rem Satyr. II, 3, 214. et I, 10, 60.) idque eam potiſſimum ob cauſam, quod verborum ſtructura h. l. coniunctivum requirat. Hanc mutationem plurimi iidemque poſt *Bentleium* critici celeberrimi, adiecta duorum aliorum Codd. auctoritate receperunt, *Fea* excepto, qui *Bentleii* rationes argutias vocans docere ſtudet, verbum *avere*, tum apud omnes ſcriptores, tum frequenter apud Ciceronem plus ſignificare quam *amare* idemque eſſe quod *cupere*; praeter *Feſti* explicationem nonnulla e Cicerone aliisque exempla ad hanc rem confirmandam proferens. Porro idem *Bentleius* inter *avere adſpergere* et *re ipſa adſpergere* diſtinguit, non cogitans, aliquid agendi cupiditatem, cum actione ipſa, quae a cupiditate haud procul abſit, commode per metonymiam commutari poſſe. Quis enim noſtrum dubitabit dicere: „dem die Luſt ankommt (den der Kitzel ſticht), die Andern allzuſammen zu beſpritzen“ pro qui cunctos *re ipſa* adſpergit. Quibus ſi idem *Bentleius* adiicit, loci ſtructuram requirere coniunctivum, qui in *avet* deſit, quisque facile concedet, indicativum h. l. non minori iure quam coniunctivum poni poſſe. (cf. *Heind.* ad Satyr. II, 1, 20.) Quocirca *Fea* non vituperandus videtur, quod vulgatam *avet* retinuit. Ad poſtremum *Lambinus* obſervat, Codd. aliquot legere *quamvis*. Sed etſi haec lectio prima ſpecie non contemnenda videatur, tamen ideo non probanda eſt, quod eam non ſequitur (v. 90.) *tamen*, deinde quod verbum ad-

---

eſſe; ita, ut hac in re merito tamquam criticorum exemplar admirandus imitandusque videatur.

ſpergere hoc modo additamento ſuo neceſſario privatur. Iam quum praeter has, quas commemoravimus varietates in Codd., quotquot collati ſunt, quantum equidem ſcio, nulla amplius conſpiciatur, quae loci huius difficultatem aut leniat aut tollat, ad Commentatorum explicationes correctionesque ordine ſupra deſcripto paululum immutato, transeundum erit.

Ad vocem quavis (v. 87.) Scholiaſt. Cruq. ſupplet ratione, formulamque adſpergere quavis explicat: „notare ſermonibus dicteriisque *ſalſis*." Eum ſequuntur Lambinus, Gesnerus, Heindorfius, Doeringius VV. DD; excepto tamen, quod horum ſecundus adiicit: „niſi malis legere cum Brodaeo (Miſc. crit. 4, 32.) (v. 88.) aqua pro aquam; ita, ut voces quavis aqua coniungantur; de qua mutatione quam Wieland ſecutus eſt, paulo poſt loquemur.

Deinde (v. 88.) verba qui praebet aquam Schol. Acr. explicat per convivatorem; cui explicationi, quam omnes reliqui interpretes iure probaverunt, Gesnerus adiicit, aquam praebere de convivatore eodem modo per extenuationem dici, quo nos epulis inſtructis convivas ad ſorbitionem invitare ſoleamus. Quid de his explicationibus cenſendum ſit mox videbimus.

Sed quum Commentatorum nonnulli bene ſentirent, has aliorum tum explicationes tum coniecturas neque ipſis, neque aliis ſatisfacere poſſe, aliud auxilium in aliis correctionibus quaeſiverunt. Hinc Gesnerus optat, ut in bono libro legatur (v. 87.) quivis, pro quavis, ita, ut vox unus coniungi

possit cum quivis. At hanc coniecturam, non tantum supervacaneam, quemadmodum Heindorfius eam vocat, habendam censeo, sed rei, de qua h. l. sermo est, prorsus contrariam. Qui enim, quaeso, unus quivis (de qua compositione cf. Cic. Brut. c. 91. Caecin. 22. Terent. Andr. V, 4, 1.) (idemque *potus*) cunctos quavis adspergere poterit h. l., ubi de homine singulari et iocoso sermo est, quocum Horatius se ipse comparat, sicuti vv. 90 et 91. clarissime docent.

Brodaeus contra cum eoque Muretus vocem aquam (v. 88.) in aqua mutandam esse coniicit, ita, ut vox quavis (v. 87.) cum aqua (v. 88.) copuletur. At quid tum, quemvis fere lectorem interrogantem audio, significabit adspergere quavis aqua? Nonne hoc ipsum aquosum, sive, ut pure loquar, tenue et languidum cuivis videatur? Quocirca nemo mirabitur, hanc Brodaei coniecturam ab Heindorfio mentione vix dignam haberi, siquidem nihil durius esse possit, quam verbum praebet (v. 88.) suo casu nudare, atque hunc demum depromere e voce aqua. Quinimo Turnebus, (Adverf. I, 2.) opinatur, poetam hisce verbis ludum aliquem respexisse, in quo homines se invicem aqua adspersissent, undeque convivator nomen aquae praebitor traxerit.

Priusquam vero has omnes explicationes correctionesque rite diiudicare possimus, necessarium erit, ut tum totius Satyrae, in qua verba nostra difficilia leguntur, tum istorum verborum cum antecedentibus et consequentibus nexum proponamus.

Nimirum in hac satyrica, contra obtrectatores, potissimum sui aevi poetas defensione, Horatio id maxi-

me propositum fuit, ut, non sine salsis dicteriis, ostenderet, quale inter se aliosque quum Graecos tum Romanos satyrici generis scriptores discrimen intercederet. Illos enim, ait, aliorum flagitia (v. 3—5: „quod moechus aut fur, aut sicarius" etc.) sine omni moderatione, tamquam indices aut publicos accusatores persequi, suosque libellos publice recitare; se ipsum vero aliorum tantum infirmitates (v. 91. „quod ineptus Rufillus pastillos olet, Gorgonius hircum") in Satyris suis ridere, neque eas publice (v. 23. 71. 73. 74.), sed in paucorum tantum amicorum circulo recitare; idque ipsum quidem aliquam sui ipsius infirmitatem esse, sed fontem eius non in se ipso, sed in eo haud dubie quaerendum, quod pater ipsum tum ad bona quaeque adhortari, tum a malis deterrere aliorum exemplis consueverit (v. 105 sqq.) idque sui ipsius vitium tolerabilius esse, quam si quis sub defensionis specie aliis flagitia affingat. (v. 93 sq.)

Quo autem hunc suum ipsius alios irridendi morem in luce clarissima ponat, exemplo utitur, (v. 86 — 89.) in quo se ipse comparat cum homine iocoso hilarique, qui in paucorum amicorum convivio (sunt enim tantum duodecim v. 86.) cunctos quavis (sic enim sine omni fere varietate legitur, excepto, quod aliquot Lambini Codd. quamvis habent, (de quo vid. supra) adspergit, quique adpotus ne convivatori quidem parcit. Iam quum, (Horatius pergit v. 90.) eiusmodi conviva iocosus ab omnibus, non niger, sed potius comis, et urbanus liberque habeatur; equidem vix intelligo, quare, dum in Satyris meis nihil aliud facio,

praeterquam quod infirmitates aliorum rideo (v. 91 sq.) lividus et mordax (v. 93.) haberi possim.

Ex quo tum Satyrae totius summario, tum singularum sententiarum primariarum nexu, intelligimus, credo, commentatorum explicationem vocis quavis (v. 87.) huc neutiquam convenire; nam si ad quavis suppletur ratione, iste derisor, quocum Horatius h. l. se comparat, non modo levibus iocis sed etiam gravissimis contumeliis reliquos lacessere potest. Quinimo ne ipsum quidem verbum adspergere, quo significatur levis tantum cavillatio, hoc supplementum (ratione) patitur. Alia vero vox quam ratione suppleri vix potest. Hinc necesse erit, ut rem aliquam quaeramus innoxiam, cuius adspersione nemo laedatur, nisi qui prorsus inhumanus ac difficilis reperiatur.

Iam quum neque Codd. lectionem meliorem suppeditent neque commentatorum coniecturae, quas supra commemoravimus et diiudicavimus sensui, qui h. l. postulatur, respondeant, nihil aliud reliquum erit, nisi ut alias coniecturas circumspiciamus et pro quavis vocem indagemus, qua res significetur, quae aliis adspersa non noceat. Quis autem est, qui dubitet hanc aquam esse? Quodsi concedis, nihil iterum erit levius, quam litteras in voce quavis paululum transponere et loco quavis legere aquis sive aquïs; quod posterius metrum postulat, de quo deinceps loquemur. Tum illi tres versus, (86—89.) mutatione facillima, quae in omnibus, credo, probabilibus coniecturis, necessaria est, non solum sensum exhibebunt, nexui convenientem, sed reliqua etiam, quae antea in iisdem obscura fuerant, illustrabunt. Nam si eos hoc modo legis:

„Saepe tribus lectis videas coenare quaternos,
„E quibus unus avet (aut amet, nihil enim impedio) aquis adspergere cunctos,
„Praeter eum, qui praebet aquam, post hunc quoque potus,
„Condita cum verax aperit praecordia Liber."

primum, praeter reliqua commoda, quae haec mutatio praebet, ratio tibi apparebit, quare convivator vocari possit is, qui praebet aquam, qua ille derisor cunctos conspergit. Deinde, hac coniectura admissa, aderit quoque res ista innoxia, qua quis sine omni detrimento adspergi possit. Denique omnis huius loci difficultas quae ante insuperabilis erat solvetur, neque praeter hanc unam vocem ulla alia mutanda erit.

Sed priusquam lectoribus hanc qualemcumque nostram coniecturam probare possimus, alia adhuc impedimenta removenda erunt.

Horum impedimentorum primum erit pluralis aquis s. aquis pro singulari aqua positus. At haec numeri enallage, quae exemplis vix eget, aliis duobus locis in ipso Horatio legitur Od. IV, 3, 10. „quae aquae" et Epod. 2, 25. „labuntur aquae."

Quodsi vero quaeris, quare poeta pluralem loco singularis posuerit, huius rei duas rationes facile invenies. Prima est, quod sequens vox adspergere cum vocali incipit et sequens singularis aqua in eandem vocalem terminaretur; qua ratione, si poeta aqua scripsisset, hiatus ortus fuisset. Altera causa est, quod *a* extremum in aqua, quamvis ablativus est, ob sequens *a*

in adspergere breve factum fuisset, ideoque cum sequente ad (in adspergere) spondeum non fecisset.

Deinde aliud huic coniecturae impedimentum obstare videtur hoc, quod aquis hoc modo significationem habebit metaphoricam, propriam vero sequens aquam. Quod quamquam fieri posse Heindorfius negat, eamque ob causam vetat, quavis coniungi cum aqua, tamen eiusdem vocis duplex significatio quae verborum lusus vocatur, frequentissime occurrit. Quis enim dubitabit dici posse, per metaphoram, ob similitudinem, aqua s. aquis aliquem adspergere, pro levibus innocentibusque iocis illum petere? Hanc autem huic formulae significationem esse, tum in antecedentibus dictum est, tum verba (v. 89.) „condita cum verax etc." clarissime docent. Contrarium eius (sal nigrum) invenies Epp. II, 2, 60.

Ad postremum restat, ut demonstremus, etiam metrum huic coniecturae neutiquam adversari; quod in poetis emendandis gravissimi sane momenti est. Nam etsi metrum non ad internam sed externam poesin pertinet, tamen a poeta postulatur, ut non solum sententiae eius poeticae sint, (v. 40. „neque enim concludere versum dixeris esse satis" etc. usque ad v. 63.) sed etiam ut verba, quibus ad significandas sententias utitur, metro quod elegit, quodque rei quam tractet concinnum esse oportet, accomodet. Quae ut praestare possit, concedenda illi erit licentia, quae poetica vocatur; (Vid. Horat. A. P. v. 10. 11.) sine qua fieri vix possit, ut cuiuscunque generis verba sine sententiarum detrimento metro accomodet. Quocirca illi concessa sunt, Crasis, Elisio, Ecthlipsis, Diae-

refis, Diplaſiasmus, Diaſtole, Syſtole, alia. Quamquam vero Horatius ratione metri cautiſſimus est idemque diligentiſſimus (A. P. v. 251 ſq.); hac tamen communi licentia praeſertim in poematibus didacticis, ad quod genus poeſeos Satyrae pertinent, quasque ipſe, utpote ſermoni propiores poematum numero eximit, (Satyr. I, 4, 41 ſqq.), quippe veram poeſeos naturam atque indolem in ſententiis potius, quam in metro quaerens (v. 43. „ingenium cui ſit, cui mens divinior" etc.) carere non poteſt. (cf. Wachsmuth et Günther Athen. B. 1. p. 310. Not.).

Quae tamen non eam ob cauſam praemiſi, ut conjecturam aquis ſ. aquïs inuſitata quadam licentia egere dicerem, ſed ut demonſtrarem, Horatium, quum ſcriberet aquïs, nihil feciſſe, quod uſitatae licentiae adverſetur.

Verum quidem eſt, quod poſitio, cujus ope extrema vocis avet et amet longa fuit, evaneſcit, ideoque eadem, ab hac quidem parte brevis fit, quando vox quavis in aquïs mutatur; at proſodia nos docet, ſyllabam per ſe brevem, praeſertim cum terminetur in conſonantes *r*, *s*, *t* vel ante vocalem, ob Caeſuram per Diaſtolen produci poſſe. (Vid. Satyr. I, 9, 21. ibique Heindorf. cf. Hermann Element. art. metr. p. 61.) Quod ipſum eſt, quod h. l. quaerimus. Lucret. II, v. 27.

„Nec domus argento fulgět auroque renidet."

Virgil. Aen. I, 308.

„Qui teneant, nam inculta videt, hominesne, feraene."

Idem

Idem Ecl. X, 60.

„Omnia vincit a|mōr ĕt| nos cedamus amori.“

Sed licet haec concedam, inquis, quid fiet de prima in voce sequente aquis? Nonne haec vulgo corripitur, et h. l. syllaba longa postulatur, ut cum extrema in avet vel amet spondeum conficiat?

Ecce iterum in his angustiis auxilio nobis est prosodia, praecipiens: quamquam littera *q* cum sequente *u* non faciat positionem, cuius ope *a* in aquis produci possit, tamen syllabam s. vocalem brevem, syllabae *qu* praecedentem pro longa usurpari posse. Lucret. VI, v. 868.

„Quae“ (ignis semina) „calidum faci|ūnt ă|quae tact(um) atque saporem.

Sed concedamus, hunc Lucretii versum ideo non posse in huius rei exemplum afferri, quod lectio aquae modo sit Bedae lectio, quam Lambinus reiicit, in locum eius substituens vocem laticis, quam correctionem editores post Lambinum omnes receperunt; tamen idem Lambinus (vid. Ed. Havercampii T. II. p. 560.) h. l. docet, vocem aqua tribus quoque syllabis per diaeresin pronunciari posse, (ăqŭă); quo Lambini adiumento usi versum nostrum sic tandem legemus et scandemus:

Ē qŭibŭs|ūnŭs ă|vĕt (s. ămĕt). ăqŭ|īs ăd|spĕrgĕrĕ| cūnctōs,
„Praeter eum, qui praebet aquam, post hunc quoque potus,
„Condita cum verax aperit praecordia Liber.

Ceterum adiicere liceat, me hanc qualemcumque commentatiunculam non tam viris doctis, quam inprimis tironibus conscripsisse; ut inde discant, quam caute in omni critico negotio rite tractando versandum sit, si non solum ad iudicandi facultatem excolendam confirmandamque, in quo praecipua eius utilitas quaerenda est, sed etiam ad verum aut verosimile inveniendum conducere velit. Itaque etiamsi viris doctis hanc meam coniecturam non probaverim, tamen in ea proponenda rationibusque sublevanda nihil prorsus inutile me fecisse confido. Deinde, quum ad omnem hanc scriptiunculam conscribendam paucorum tantum dierum spatium mihi concessum esset, utpote qui demum paulo ante examen rogarer, ut negotium programmatis conscribendi in praesentia susciperem, neque aliud in scriniis paratum esset, ad hanc occasionem aptum preloque maturum; lectores humanissimos rogatos volo, ut veniam dare et quidquid vitiosi invenerint, in temporis otiique inopiam benignissime conferre velint.

II.

ORATIUNCULA

QUA

IUVENES AD ACADEMIAM ACCEDENTES

A

RECTORE ADMONENTUR

UT

PERVERSUM PARTIUM STUDIUM

IN

LITERIS EDISCENDIS FUGIANT.

Duo inprimis verae doctrinae cupidis in literis bene ediſcendis ſunt obſervanda. Primum videndum eſt, ne quis nimia ſui fiducia, eximii ingenii opinione inanique ostentatione deceptus temere ſibi perſuadeat, ſe unum ad omnia intelligenda ſatis valere, nec ullius egere auxilio. Nemo enim umquam ducis, adiutoris ac moderatoris ope deſtitutus ad ullius literarum partis accuratam et certam cognitionem acceſſit, et fruſtra appellantur *αὐτοδίδακτοι*, qui omnia ſibi, nihil omnino aliis ſe debere arbitrantur. Deinde non minus eſt cavendum, ne in verba cuiusque magiſtri ita iuret, ut, omni cogitatione omiſſa, ab ipſo poſita, tamquam Apollinis oracula, probet. Videre licet haud paucos, qui, quos ſequuntur opinionum auctores, falli ac decipi non poſſe contendunt, diſſentientes ineptos et deſipientes iudicare non erubeſcunt. Hoc partium ſtudium, ab inſcitia, temeritate ac ſuperbia profectum, omnem omnis generis miſeriam, ſingulis hominibus et univerſis civitatibus intuliſſe, idemque et literas magno damno adfeciſſe, quis eſt, qui neſciat? Quare admonendi ſunt iuvenes, bonis artibus dediti, ut fugiant perverſum ac pernicioſum illud partium ſtudium, quod literis recte ediſcendis maxime obeſſe paucis oſtendam.

Proprium eſt huius ſtudii pravitate imbutis, ut omnia a parte, cui ſunt addicti, probata veriſſima pu-

tent et ne quaerendum quidem censeant, utrum sint vera, an falsa; quare, inani doctrinae specie contenti, socordiae se facile tradunt, iudicandi vim non adhibent nec ingenium excolendum curant, quo non bene subacto ad veram et propriam rerum earumque caussarum cognitionem nullo modo pervenire possunt; propria enim propria vi parantur.

Quid? quod contemnunt dissentientes et pernicioso errore abrepti sibi persuadent, eos vera videre nec posse nec velle; unde fit, ut et doctissimorum voces non audiant, scripta vel omnino non legant, vel eo consilio legant, ut improbent, ad risum traducant conviciisque dilacerent. Quid vero est, quod verae doctrinae magis repugnet? praesertim cum reiiciant non solum, qui contrariam, sed etiam, qui neutram partem sequuntur. Quorum cum multi sint ingenio ac scientia clari, quot quantaque impedimenta literarum studio parant! quos doctrinae fontes obruunt! Nonne igitur recte dicimus, illud partium studium literis ediscendis maxime obesse?

Accedit odium, quo in eos, qui a parte sua recedunt, inflammatos plerumque videmus, quod efficit, ut aequitatis, iustitiae, omnis, quam profitentur, humanitatis immemores eorum merita non agnoscant, nihili faciant, proterant, bonam existimationem polluant, belloque nefario illato, adversarios iniuriose atque inhumaniter tractent. Quare cum omnium inimicitias sibi contraxerint, etsi nonnumquam eosdem studii sui adiutores advocare velint, frustra auxilium petent.

Praeterea, id quod maxime eſt conſiderandum, hominum animi natura ita ſunt comparati, ut non ſolum diſcendi, ſed etiam cognita cum aliis communicandi cupiditas iis ſit innata, quae ad diſcendum plurimum facit; nam docendo diſcimus, ut eſt in proverbio trito. Num docendi munere bene fungi poterit, qui ſua ſola pro veris habet, ita ut omnia ab aliis prolata contemnat? — Num audire cupient, qui iniquitate, iniuſtitia ac ſuperbia quam plurimorum indignationem in ſe convertit? Nonne ſaepius etiam vera dicentem repudiabunt? Confirmet, iuret per omnes deos, ſibi ſummam ineſſe eruditionem, dictis omnes adſentire debere; ad audiendum allicere non valebit. Docere ſtudeat, disſentientes eſſe ſtultos, eorumque animos inſcitiae tenebris obſitos a veritate longiſſime aberrare; clamitet, non audiendo maximam ſibi fieri iniuriam, nihil efficit, audire nolunt, fidem non habent. Luculentiſſime igitur patet, pernicioſo illo partium ſtudio, quod a ſapientia et ſana ratione plane abhorret, et hoc nomine literarum ſtudium maxime impediri.

Quae cum ita ſint, quisque veritatis amicus, qui bonarum artium cultor praedicari, ingenium excolere eoque recte uti, verae doctrinae laude gaudere, cognita in hominum commoda conferre velit, id maxime agat neceſſe eſt, ut nulli parti ita ſit addictus, ut, omnibus ceteris neglectis atque contemtis, huic uni faveat, huic uni adhaereſcat, huic uni pareat.

Quod noſtro tempore maxime eſt cavendum, quo illam vanitatem haud paucis ineſſe videmus, praecipue

iis, qui rationem quasi capite damnatam, tamquam inutilem adeoque perniciosam in exilium abire iubent, omnibus in sua verba iurare recusantibus bellum faciunt, acerbissimam invidiam concitant, rebus indignissimis, cuique bono repudiandis utuntur, ut omnibus persuadeant, se solos esse doctos et eruditos, dissentientes contra nihil omnino scire, nihil videre, nec in ulla re audiendos esse.

Quare etiam atque etiam rogo Vos, carissimi iuvenes, ut repellatis per omnem vitam huius partium studii perversitatem, quo maius et perniciosius doctrinae atque humanae societatis malum vix cogitari posse constat. Non uni parti, sed veritati ac sapientiae plane addicti, quaecunque vera vel verisimilia videantur, ubicunque reperiantur, ratione bene adhibita, inquiratis, arripiatis, teneatis; pro certo habete, ab omnibus omnis generis doctis disci posse, et cuique verae doctrinae cupido ex omnibus, quos aperiant, fontibus esse hauriendum.

III.

Historische Nachrichten von der lateinischen Schule im Waisenhause.

A.

Allgemeine Lehrverfaſſung.

Die allgemeine Lehrverfaſſung unſerer Schule iſt in den hiſtoriſchen Nachrichten v. J. 1825 kürzlich dargeſtellt; bedeutende Veränderungen ſind darin nicht vorgenommen.

Privatlectüre

griechiſcher und lateiniſcher Claſſiker.

Mehrere Schüler der obern und mittlern Claſſen haben immer, theils unaufgefordert, theils von den Lehrern dazu ermuntert, auch ohne daſs es ihnen gerade zur Pflicht gemacht wurde, griechiſche und lateiniſche Schriftſteller für ſich geleſen. Ihre Schularbeiten lieſsen den meiſten wenig Zeit dazu übrig. Die Hauptſache, die Schüler hinlänglich und zweckmäſsig zu beſchäftigen, ward nie aus den Augen verloren.

Itzt iſt indeſs dieſe Privatlectüre für die obern Claſſen nach folgenden Grundſätzen näher beſtimmt und allgemein gemacht.

1. Hat man ſich in der Regel, denn Ausnahmen kann es geben, auf die Schriftſteller beſchränkt, welche jetzt in den obern Claſſen geleſen werden, oder in den

mittlern Classen gelesen sind. Wenn diese zweckmässig gewählt sind und ihr Studium vorzüglich als Bildungsmittel angesehen werden muss, so scheint es nicht rathsam ihre Zahl zu vermehren. Um in den Geist des Schriftstellers, so weit sich dies von Anfängern erwarten lässt, tiefer einzudringen und sich mit Erfolg nach seinem Muster zu bilden, muss sich der Schüler längere Zeit mit ihm ernstlich beschäftigen. Bei zu häufigem Wechsel und Durcheinanderlesen wird dieser Zweck gar nicht, oder doch nur in einem sehr geringen Grade erreicht.

Diese Schriftsteller sind überdem den Kräften der Schüler angemessen. Zu schwer dürfen sie nicht seyn; dazu gehören Hülfsmittel, die nicht Jeder hat, noch weniger Jeder zu gebrauchen weiss; ohne diese — die allgemein nothwendigen dürfen freilich nicht fehlen — ist man genöthigt seine eignen Kräfte zu versuchen und dies ist das Bessre. Viele verlieren den Muth, weil sie ihnen nicht gewachsen sind, viele erhalten eine zu hohe, für ihre Bildung verderbliche, Meinung von sich, die von andern oft genährt wird, welche ihnen wegen der Menge gelesener Schriftsteller grosse, oft sehr unverdiente Lobsprüche ertheilen.

2. Ob im Allgemeinen die Mitglieder einer Classe mehr oder weniger lesen sollen, das hängt von den übrigen Schularbeiten ab. Auf das Studium der classischen Schriftsteller muss verhältnissmässig auf Gymnasien die meiste Zeit verwandt werden; doch darf man weder für die Philologie, noch für eine andere Lieb-

lingswissenschaft so partheiisch seyn, dass man für diese den ganzen Privatfleiss in Anspruch nimmt, und die übrigen, deren Kenntniss doch auch verlangt wird, leer ausgehn lässt. Dies hiesse den Zweck der Schule verkennen, die auf alle Hauptwissenschaften vorbereiten soll.

3. Auch wird nicht allen Schülern derselben Classe ein gleich langes Pensum gegeben. Da die Fähigkeiten verschieden sind, so kann man auch von allen nicht gleich viel fodern. Nicht Jedem bleibt gleich viel Zeit zu dieser Lectüre übrig, wenn er sich gehörig vorbereiten, wiederholen, die schriftlichen Aufgaben, mit Fleiss und Sorgfalt bearbeiten und die übrigen Theile des Schulunterrichts nicht vernachlässigen will.

4. In einzeln Fällen gestattet man den Schülern unter den passenden Schriftstellern sich selbst einen zu wählen. So wie es in jedem Verhältniss gewisse Berufspflichten giebt, die nicht versäumt werden dürfen, wenn man auch weniger Neigung dazu haben sollte, so muss auch der Schüler bestimmte Arbeiten haben, die man ihm nicht erlassen kann; doch wird die eigne Wahl der Arbeiten für einen Theil seiner Zeit dem heranreifenden Jüngling nicht allein nicht schädlich, sondern vielmehr aus mehrern Gründen vortheilhaft seyn. Selbstthätigkeit und freiere Entwickelung der Fähigkeiten wird dadurch befördert; wenn man nur dafür sorgt, dass er sich zweckmäsig beschäftigt, nichts Nöthiges versäumt und die Einseitigkeit in seiner Bildung verhütet wird.

In diesem Winterhalbjahr sind folgende Schriftsteller bestimmt:

Für die 1ste Classe: Cicero's Redner; einige Stücke aus Lucian, die in der hier eingeführten gr. Sylloge enthalten sind.

Für die 2te obere: Cicero von den Pflichten, 3tes Buch; einige Bücher aus der Iliade.

Für die 2te untere: Livius, 1stes und 2tes Buch; einige Bücher der Odyssee.

Für die 3te obere: Sallust's jugurthinischer Krieg; einige Bücher der Odyssee.

B.

Ueberſicht

der Vertheilung der Lectionen unter die Lehrer, Angabe der Lehrgegenſtände und der dafür beſtimmten Stunden, der geleſenen Schriftſteller und der beim wiſſenſchaftlichen Unterricht zum Grunde gelegten Lehrbücher.

Winterhalbjahr 1825—1826.

Claſſen.	Lehrer.	Lehrgegenſtände.	Stunden.	Schriftſteller. Lehrbücher.
1. Claſſe.	Prof. *Dick.*	Chriſtliche Sittenlehre mit Prima und Oberſecunda.	2	Niemeyer's Lehrbuch.
		Lat. Proſa u. Stil.	4	Cicero's Tusculanen, 1ſtes Buch.
		Gr. Proſ.	3	Demoſthenes Rede v. der Krone, 2te Hälfte.
		Hebräiſch.	3	Eſaias Cap. 53—66.
		Deutſcher Stil. Synonymik. Stilübungen.	2	Maaſs.
		Mathematik. Trigonometrie.	3	Kurze Sätze wurden dictirt.
	Herr Profeſſor *Lange.* (Ordinar.)	Lat. Proſ.	2	Livius B. 26 u. 27.
		Lat. Dichterlectüre.	4	Horaz Briefe.
		Gr. Dichterlectüre.	3	Soph. Ajax.
	Hr. *Niemeyer.*	Allgemeine neuere Geſchichte.	4	Böttiger's Allgemeine Geſchichte.
	Hr. D. *Stäger.*	Franzöſiſch. Stilübungen.	2	Voltaire. Brutus. Samſon.

Claſſen.	Lehrer.	Lehrgegenſtände.	Stunden.	Schriftſteller. Lehrbücher.
2. obere Claſſe.	Prof. *Dick*.	Lat. Dichterlectüre.	4	Horaz Oden, 3tes u. 4tes Buch.
	Herr Profeſſor *Lange*.	Lat. Pr. und Stil.	3	Livius 26ſtes Buch.
		Gr. Proſ.	3	Lucian's Traum. und Cynicus.
	Hr. D. *Schirlitz*.	Gr. Dichterlectüre.	3	Iliade, 21 — 23ſtes Buch.
	Hr. D. *Stäger*. (Ordinar.)	Deutſch. Stil. Rhetorik. Stilübungen.	2	
		Lat. Proſ.	3	Cicero von den Pflichten, 1ſtes Buch.
		Mathematik. Allgemeine Arithmetik bis zu der Lehre von den imaginären Gröſsen.	3	Garz Lehrbuch.
	Hr. *Steinberg*.	Allgemeine mittlere Geſchichte.	4	Böttiger's Weltgeſchichte.
2. untere Claſſe.	Hr. Paſt. *Tiebe*.	Chriſtliche Religionsgeſchichte.	2	Niemeyer's Lehrbuch.
		Lat. poet.	4	Horaz Oden, 1ſtes u. 2tes Buch.
	Hr. *Niemeyer*. (Ordinar.)	Lat. Pr. und Stil.	6	Cicero von den Pflichten, 1ſtes Buch. C. 1 — 18. Ausgewählte Stücke der erſten Dekade des Livius.
	Hr. D. *Schirlitz*.	Gr. Proſ.	3	Xenophon's Denkwürdigkeiten. 1ſtes B. C. 1 — 2. 2tes B. C. 4 — 6.
		Ueberſicht der hiſtor. Hülfswiſſenſchaften. Alte Geſchichte bis Cyrus.	4	Bredow.
		Hebräiſch.	3	Pſ. 30 — 46.
	Hr. D. *Stäger*.	Gr. poet.	3	Iliade, 20 — 22. Buch.
	Hr. Inſpector *Böttcher*.	Deutſche Literatur, von Opitz bis auf die neuern Zeiten.	2	Heinſius.

Classen.	Lehrer.	Lehrgegenstände.	Stunden.	Schriftsteller. Lehrbücher.
2. untere Classe.	Hr. Inspector *Böttcher.*	Französisch.	2	Siefert. Stücke aus Delille, Boileau, Voltaire.
3. obere Classe.	Hr. D. *Schirlitz.* (Ordinar.)	Lat. Prof.	6	Cicero's Rede für Milo. Sallust's jugurth. Krieg, C. 74 bis zu Ende.
	Hr. D. *Stäger.*	Lat. poet.	4	Virgil, B. 4—6.
	Hr. D. *Netto.*	Gr. Prof. Gr. poet.	6	Homer's Iliad. Buch 1 und 2. Xenophon's Anabasis. Buch 3. 4. 5.
		Religionsgeschichte nichtchristlicher Völker.	2	Niemeyer's Lehrb.
	Hr. Inspector *Böttcher.*	Geschichte v. Griechenland.	4	Bredow.
